

2067

CODICES

2068

easdem sacras functiones. Incipit: *Ad fructus uberes, quos in agro dominico &c.* Nullis notis chronologicis munitum; sed extat inter *Privilegia cit. n. 68. datum apud urbem ueterem. III. Idus Januarii pontificatus anno primo, id est, 1282.*

VIII. fol. 94. p. 2. Gravamina *Praelatorum Franciae* contra supra dicta *Mendicantium Privilegia*. Initium: *Occasione priuilegij huius inter prelatos et religiosos predictos utriusque ordinis super tribus altercatio est exorta &c.* Tria haec sunt, quod *Mendicantes* adferant, licere sibi praedicare non tantum sine venia *Episcoporum*, sed etiam iis inuitis; dein posse se absolvere etiam in *Casibus* Pontifici reservatis; denique homines apud se de peccatis confessos non teneri de iisdem apud *Parochianos Presbyteros* confiteri. Ex decursu patet Gravamina haec delata esse ad *Nicolaum IV.* qui an. 1288. electus fuit, idque ex Decreto Concilii *Remensis* anno praeced. celebrati, quod habes T. XIV. *Collect. Concil.* edit. *Venetae col. 1077.* Ab hoc vero, qui ipse ex *Ordine Min.* adsumtus fuisset, rem in medio relictam queritur *Egaff. Bul. suprac. T. III. p. 507.* qui pluribus bella isthaec nullos habitura triumphos persequitur, quin tamen Scriptum praesens inferat, quod ineditum putem.

In Codicis theca anteriore legitur: *Ex bethelemiticis, id est, ex Codicibus olim ad Ecclesiam*

Pragenam dictam *Bethlehem*, in qua *Job. Hussus* ad concionem dixerat, pertinentibus. Folio praevio alia manus adscripsit: *Habui dono a Mystopolo (Administratore Archiepiscopatus pro Utraquistis) 24 aprilis 57. praga. Thecae demum posticae locus quidam Augustini bohemice reditus adhaeret.*

DXLV.

Codex membranaceus lat. Sec. ³¹⁶ XIV. Folior. 20. f. per duas columnas probe exaratus, rubricis distinctus, olimque ad *Pragensis Caroli IV. Collegium* pertinens Primo inscribitur: *Iste liber tractat de periculis que euenient circa finem mundi.* Et mox rubro: *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum ex scripturis diuinis exceptus.* Initium Prologi: *Ecce uidentes clamabunt foris &c. Guilelmi de S. Amore τὸ Μισομοναχῶν Opus, in XIV. Capita distinctum, Codd. pluribus indicatum, et inter Ejus Reliqua an. 1632. fideo Constantiae nomine p. 17. 4. impressum. Caput ult. nobis ita finitur: Illi ergo predicatorum qui procurant amicicias huius seculi non sunt ueri apostoli sed pseudo et maledicuntur a deo et ihesu christo domino nostro per infinita secula seculorum Amen.* Pro quo *Edita* integram paginam ultra excurrunt. Verum nobis prolixus *Augustini* locus: *Sunt quidam in ecclesia christi qui volunt esse humiles sine despectu — omni ueritate carentes,*

